

agat, quandoque eiusmodi, ut aliquid agat ad productionem effectus. Ita *admotio ignis ad stupam sine qua ipsa stupa non comburitur, nihil per se confert ad stupae combustionem, quantum ad rationem causandi*; e contrario, *respiratio, sine qua animal non vivit, aliquid ad vitam eius servandam per se agit.* Iam, si primum fiat, *causa sine qua non est causa per accidens*<sup>1</sup>; si alterum, est vera concausa.

200. Denique causa distinguitur in *univocam, aequivocam, et analogam*<sup>2</sup>. Causa *univoca* illa est, cuius effectus similis est ipsi causae *secundum eamdem rationem specificam*, ut homo est causa univoca hominis, quem generat<sup>3</sup>. *Aequivoca* dicitur illa, quae cum effectu convenit *secundum eamdem rationem genericam*, cuiusmodi est sol respectu eorum, ad quorum productum ipse concurrit<sup>4</sup>. Denique, si effectus cum causa conveniat tantum *secundum aliquam analogiam*, seu comparationem, vel ordinem, illa causa *analogica* appellatur. Hinc Deus est causa agens *analogice*<sup>5</sup>, propterea quod, cum nullo genere rerum contineatur, creature nequeunt esse participes similitudinis Divinae secundum eamdem rationem speciei, aut generis, sed solum secundum aliquam *analogiam*. Enimvero creature, quippe quae sunt entia, quamdam imperfectam similitudinem cum Deo, ut primo, et universalis principio totius *esse, praeseferunt*<sup>6</sup>.

201. Porro quaelibet causa praestantior est effectu ex eo, quod virtute activa illum producendi pollet<sup>7</sup>. At vero, perfectiones, quae sunt in effectu, inveniuntur in causa *univoca formaliter*, id est secundum eamdem rationem, quia effectus causae univocae est eiusdem speciei, sive naturae, ac causa. In causa autem *aequivoca* inveniuntur diversa ratione, nam causa *aequivoca*, utpote quae effectus specie diversos producit, perfectiones, quae in eis sunt, secundum eamdem rationem complecti non potest; alioquin perfectionibus diversae speciei, ac proinde secum pu-

<sup>1</sup> Cf Clem. Alex., Strom., lib. VIII, c. 9.

<sup>2</sup> I, q. IV, a. 3 c.

<sup>3</sup> Quare causae *univocae* nonnisi effectus speciei suaे consentaneos edere valent.

<sup>4</sup> Hinc causae *aequivocae* plures effectus specie diversos producere possunt. — <sup>5</sup> In lib. I Sent., Dist. VIII, q. I, a. 2 sol. — <sup>6</sup> Cf p. 23.

<sup>7</sup> « Omne, quod fit, inquit s. Augustinus, ei, a quo fit, par esse non potest »; Qq. LXXXIII, q. 2; cf ibid., q. 28.

gnantibus constaret<sup>1</sup>. Id potiori iure de causa analogica dicendum esse quisque ex se perspicit<sup>2</sup>.

### CAPVT X.

#### De septima categoria, quae dicitur « ubi »

##### ART. I. Notiones ubi, et loci declarantur

202. Illud accidens, quod substantiae corporeae adiacet, atque efficit, ut ipsa quodam loco contineatur, et circumscribatur, nomine *ubi* designatur. Hinc, secundum B. Albertum M., *ubi* est « circumscriptio corporis a loci circumscriptione procedens<sup>3</sup> ». Ex qua notione *ubi* perspicitur locum, ut idem Doctor inquit, esse illud, « a quo, sicut a causa, fit ipsum *ubi*<sup>4</sup> ». Quare notio *ubi* ex notione loci magis declaratur.

203. Iam locus secundum Aristotalem definitur: Immobilis superficies corporis, quae aliud corpus *primo* ambit, et circumscribit, ita ut aequalem cum huius superficie proportionem partium, sive mensuram habeat<sup>5</sup>. Vox *primo* significat locum propriè esse illam superficiem, quae corpori contigua est, ipsumque immediate continet; unde nos non dicimus hominem in toto aere existere, sed solum in ea parte, qua circumscribitur. Superficies autem, quae corpus immediate ambit, etsi secundum se moveri possit, tamen non habet rationem loci, sive continentis, nisi tamquam immobilis concipiatur. E. g., etsi, flante vento, superficies talis corporis, puta aeris, mutetur, tamen illa, quae priori succedit, eamdem, quam praecedens, capacitatem intra sua latera habere debet; quapropter illa superficies, prout aliud corpus ambit, immobilis dicitur<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> I, q. IV, a. 2 c.

<sup>2</sup> Quanam ratione effectus a Deo creati in Eo contineantur, explicabimus in *Theologia naturali*.

<sup>3</sup> De sex principiis, tract. V, c. 1. « Ubi, inquit etiam, non est locus, sed in loco aliqualiter esse »; De Praedicam., tract. VI, c. 2.

<sup>4</sup> De sex principiis, tract. IV, c. 2.

<sup>5</sup> Nat. ause., lib. IV, c. 4, § 12.

<sup>6</sup> Aliud exemplum affert s. Thomas hunc in modum: « Est accipere locum navis in aqua fluente, non secundum hanc aquam, quae fluit, sed secundum ordinem, vel situm, quem habet haec aqua fluens ad totum fluvium: qui quidem ordo vel situs idem remanet in aqua succedente. Et ideo licet aqua materialiter praeterfluat, tamen secundum quod habet rationem lo-

204. Porro *ubi* categoricum significat aliquid esse in loco per modum proprium loci<sup>1</sup>. Exinde intelligitur primo, cur *ubi categoricum* appelletur *circumscripтивum*; nam illud, ut iam diximus, proprie est in loco, quod a loco circumserbitur, sive eam proportionem ad locum habet, qua ab ipso exaequatur, ac proinde, aiente s. Bonaventura, ita est in loco, « quod pars sit in parte, et totum in toto secundum commensurationem<sup>2</sup> ». Secundo, cur hoc *ubi* nonnisi substantiis corporeis convenire possit<sup>3</sup>; nam nonnisi mediis quantitatibus dimensivis, quae propriae corporum sunt, intelligi potest, quomodo substantia a loco circumserbatur<sup>4</sup>.

205. At vero ratio existendi in loco potest quoque intelligi, prout « dicitur aliquid esse in aliis rebus quocumque modo<sup>5</sup> ». Hac ex causa *ubi circumscripтивum* ab *ubi definitivo* distinguitur. Namque *ubi* definitivum substantiis spiritualibus creatis<sup>6</sup> attribuitur, atque significat harum praesentiam ad res corporeas vel per *operationem*, ut sit in Angelis, vel per *informationem*, ut sit in anima<sup>7</sup>. Huiusmodi *ubi* vocatur *definativum*, quia creatureae spirituales, cum sint finitae, ita sunt « in uno loco, quod non in alio<sup>8</sup> ». Appellatur quoque *simplex*, quia substantiae incorporeae non sunt in loco *totalitate quantitatis*, sed *totalitate essentiae*, ita ut haec *non commensuretur totalitati loci*<sup>9</sup>. Ex quo efficitur, ut ipsae non sint in loco, *namquam in continente*, sed potius locum, in quo sunt, *contineant*<sup>10</sup>.

ci, prout scilicet consideratur in tali ordine et situ ad totum fluvium, non mutatur<sup>11</sup>; In lib. IV Physic., lect. VI.

<sup>1</sup> I, q. VIII, a. 2 c.

<sup>2</sup> In lib. IV Sent., Dist. X, p. I, a. 1, q. 4 resol.

<sup>3</sup> Cf s. Aug., Serm. L, *De diversis*, c. 9.

<sup>4</sup> Cf s. Thom., Quodlib. VII, a. 8 c. — <sup>5</sup> I, loc. cit.

<sup>6</sup> Hic non loquimur de praesentia Dei omnibus locis, quia illa, ut in *Theologia naturali* explicabitur, est ipsa substantia Dei, et non est *ubi*, sed *ubique*.

<sup>7</sup> De ratione, qua anima est in corpore, dicemus in *Anthropologia*.

<sup>8</sup> I, q. LII, a. 3 c. Ineffabilis autem ille modus, quo I. Christus in venerabili Eucharistiae Sacramento est, ab *ubi* tum *circumscriptive*, tum *definitivo* differt (cf s. Thom., III, q. LXXVI, a. 5), atque speciali nomine *ubi sacramentalis* designatur.

<sup>9</sup> I, q. VIII, a. 2 ad 3.

<sup>10</sup> Ibid., a. 1 ad 2. Duas illas quaestiones, quae circa corpora in ordine ad locum agitantur, nempe, utrum duo corpora in eodem loco esse pos-

ART. II. *De spatio, et primum sententiae Philosophorum, qui vacuum admittunt, refutantur*

206. Nos ex eo, quod conspicimus res corporeas secundum locum ferri, et quem locum una deserit, alteram occupare, quoddam excogitamus receptaculum, in quo corpora sibi succedunt. Hoc receptaculum illud est, quod vulgus nomine *spatii* intelligit. Inquirendum igitur nobis est, quidnam reipsa hoc spatium sit.

207. Ex Philosophis nonnulli tuentur non aliud spatium esse admittendum, quam *externum*, atque hi sunt, qui spatium esse vacuum, nempe aliquid a corporibus separatum, omnisque extensionis expers putant. Hanc opinionem inter veteres post Democritum, et Leucippum Epicurus vehementer defendit, quippe qui putavit nihil aliud esse in rerum natura *inanem*, seu vacuum, et corpora, quae in eo moventur<sup>1</sup>. Inter recentes Gassendus, notionem vacui declarare volens, dixit spatium esse ens aeternum, independens, non productum, quod non est substantia, nec accidentis, sed quidquam incorporeum *sui generis*, nempe incorporeum, quod dimensiones longitudinis, latitudinis, et profunditatis habet, sed a dimensionibus corporeis longe diversas<sup>2</sup>. Denique Newtonus post Morum<sup>3</sup> docuit spatium non aliud esse, nisi ipsam immensitatem Dei, quia Deus, ex eo quod existit ubique, spatium constituit, eoque usque progressus est, ut spatium *sensorium Dei* nuncuparet<sup>4</sup>.

208. At doctrinam vacui, quocumque modo exponatur, reiciendam esse sequentes propositiones evincunt:

Prop. 1<sup>a</sup>. *Vacuum, sive secundum Epicurum, sive secundum Gassendum intelligatur, absurdum est.*

Probatur 1<sup>a</sup> pars. Vacuum, si secundum Epicurum intelligatur, est purum, putumque nihil; namque quidquid est, aliquid vel incorporeum, vel corporeum sit oportet. Atqui Epicu-

sint, atque utrum repugnet unum corpus in pluribus locis esse, in *Cosmologia* tractabimus.

<sup>1</sup> Lucret., *De nat. rerum*, lib. I, p. 420 sqq.

<sup>2</sup> Phys., lib. II, sect. 2, c. 1.

<sup>3</sup> Enohirid. metaph., pars I, Londini 1671.

<sup>4</sup> Principia mathematica philosophiae naturalis, Schol. general., et Optic., q. XXVIII.

rus spatium admittere non potuit veluti incorporeum, quia quidquam incorporeum esse negat, neque uti corporeum, quia corpus ab ēnani, seu vacuo distinguit. Vacuum igitur, quod Epicurus defendit, nonnisi *nihil* est<sup>1</sup>. Praeterea, spatium ab Epicuro intelligitur veluti receptaculum, quod corpora continet. Atqui vacuum corpora continere non potest, quia vacuum est omnis extensionis expers; corpora vero, cum extensa sint, nonnisi a receptaculo, quod extensum est, contineri possunt. Vacuum igitur nequit esse spatium.

209. *Probatur* secunda pars. Vacuum, secundum Gassendum, neque ad substantiam, neque ad accidentis resertur. Atqui nihil medii inter ultrumque esse, aut excogitari potest<sup>2</sup>. Ergo vacuum a Gassendo admissum est omnino absurdum. Praeterea, quidquid est incorporeum, est inextensem, et quidquid est longum, latum, et profundum, est extensem. Atqui omnino repugnat aliquid esse simul extensem, ac inextensem. Ergo vacuum, quod incorporeum *sui generis* Gassendus excogitavit, nempe incorporeum, quod trinas dimensiones habet, notionem denotat, quae se ipsam destruit. Denique Gassendus voluit vacuum esse aeternum, non productum, independens. Atqui ens huiusmodi est ens *a se*, nempe Deus. Ergo illud vacuum veluti alter Deus habendum foret<sup>3</sup>.

210. Prop. 2<sup>o</sup>. *Perabsurda est opinio Newtoni de natura vacui.*

*Probatur*. Si spatium, quod Newtonus vacuum esse voluit, esset attributum Dei, Deus ex partibus conflaretur; nam vacuum, si non est nihil, certe extensem est; extensem autem esse non potest, nisi id, quod ex partibus conflatur. Atqui Deo, utpote qui omnino simplex est, non solum partium, sed cuius-

<sup>1</sup> Cf s. Aug., *De Gen. contr. Man.*, lib. I, c. 4.

<sup>2</sup> Qq. disp., q. un. *De Sp. or.* a. 11 c.

<sup>3</sup> Praestat hic contra defensores *vacui* illud advertere, quod etiamsi nullum esset vacuum, et cuilibet corpori aliud corpus esset contiguum, inde tamen haud conficeretur non posse ullum corpus moveri, nisi omnia simul moveantur. Id, ut s. Thomas (*In lib. IV Phys.*, lect. X) docet, perspicere licet primo ex rarefactione, et condensatione corporum; nam si corpora rarefieri, et condensari queunt, nemo non videt posse aliqua eorum moveri, quin reliqua moveantur: secundo ex motu corporum per fluidum; quia, quoties corpus in fluido movetur, non oportet totum fluidum moveri, sed satis est partes anteriores fluidi, quod corpus ambit, ad latera refluxere, ut locum a corpore relictum occupent.

libet etiam generis compositio repugnat. Ergo repugnat spatium esse attributum Dei. Praeterea, quodlibet attributum Dei est ipsamē Essentia Dei. Ergo, si spatium est attributum Dei, dicendum foret Essentiam Dei esse quoddam corporum receptaculum; et si addatur cum eodem Newtono spatium esse *sensuum* Dei, dicendum etiam foret mundum esse *Divinum Animal*, et hoc animal esse Deum. Atqui haec nonnisi a Pantheistis asseri possunt<sup>4</sup>. Ergo opinio Newtoni de natura spatii omnino absurda est.

ART. III. *Refelluntur aliae Philosophorum opiniones circa naturam spatiī*

211. Cartesius vacuum non solum reiecit, sed etiam spatium a corporibus non distinguens, ipsa corpora spatium constituere dixit<sup>2</sup>. Leibnitius autem spatium in ordine, quo *coexistunt* res materiales, posuit<sup>3</sup>. Quocirca, secundum has opiniones, spatium non est aliquid *externum* corporibus, sed *internum*; nam vel ab ipsis corporibus, vel ab aliqua relatione, quae inter ipsa existit, efficitur. Denique Kantius spatium esse *visionem a priori sensibilitatis externae* docuit<sup>4</sup>.

212. Prop. 1<sup>o</sup>. *Spaliū non est idem ac corpus.*

*Probatur*. Spatiū non est aliud, nec aliter intelligi potest, quam id, quod corpora continent. Atqui repugnat id, quod cor-

<sup>1</sup> Hinc inter nuperos Bouillierius (*Théorie de la raison impersonnelle*, c. 5, p. 83 sqq, Paris 1844) sibi constitut, quod sententiam Newtoni, quam amplexatus est, e pantheismi placitis derivavit.

<sup>2</sup> *Princip. de la phil.*, part. II, § 9-12.

<sup>3</sup> *Recueil de divers écrits etc.* passim.

<sup>4</sup> *Critique de la raison pure*, trad. par Tissot, *Estétique transcend.*, t. I. Ut haec sententia Kantii intelligatur, sciendum est Kantium sicut quasdam ingenitas generales formas in intellectu (cf *Idealog.*, c. I, art. 4, p. 193-196, vol. I), ita quasdam formas sensibilitatis agnoscere, sive quasdam repraesentationes, quae ab experientia non pendunt, et manent in nobis, etiam si cogitationem ab obiectis avocemus. Hae ab eo vocantur *visiones purae*, ut distinguantur a *visionibus empiricis*, quae sunt elementa sensilia per experientiam nobis manifestata; reducuntur autem ad *visiones puras spatiī*, et *temporis*, quarum illa ad sensibilitatem externam, ista ad sensibilitatem internam spectat: quia res externae non nisi prout in quodam spatio existunt, et affectiones τὸν ego non nisi prout sibi invicem succidentes, ac proinde prout in quodam tempore existunt, nobis necessario repraesentantur.

pura continet, cum eo, quod continetur, idem esse. Ergo spatium esse idem cum corporibus repugnat. Praeterea, Cartesius in suam sententiam ex eo adductus est, quod essentiam corporis in extensione consistere putavit, ac proinde spatum, cum sit extensum, idem ac corpus esse dixit. Atqui haec ratio futilis est, quia extensio, ut suo loco ostendemus, essentiam corporis haud constituit. Ergo.

213. Prop. 2<sup>a</sup>. *Spatium in ordine, quo corpora coexistunt, adstrui nequit.*

*Probatur.* Nos non possumus intelligere duo corpora coextreme, nisi ea in diversis punctis spatii existere simul intelligamus; nam corpora, quae coexistunt, procul dubio ab se invicem distant; corpora autem distare dicuntur, quia diversa spatii puncta occupant. Atqui, si ita res se habet, coexistentia corporum spatium non efficit, sed expostulat. Ergo spatium in coexistentia corporum positum non est.

214. Prop. 3<sup>a</sup>. *Spatium visio pura sensibilitatis externae dici nequit.*

*Probatur.* Visio pura, secundum Kantium, est necessaria, et universalis. Atqui necessarium, et universale sensibilitati adscribi nequit. Ergo spatium visio pura sensibilitatis externae esse non potest. Praeterea, Kantius suam opinionem ideo tuitus est, quia putavit nos non posse percipere ullum corpus, nisi notionem spatii animo praeformatam habeamus. Atqui id falsum est, quia nos reapse corpora percipimus, antequam notionem spatii habeamus, unde notio spatii est posterior perceptione corporis. Ergo.

#### ART. IV. *Vera sententia circa naturam spatii adstruitur*

215. Explosis falsis circa naturam spatii opinionibus, sententiam, quam s. Thomas, aliquis Scholastici asseruerunt, sequenti Propositione defendimus:

*Spatium consistit in dimensionibus unius corporis aliud ambientis, vel in dimensionibus, quibus idem corpus intra se clauditur*<sup>1</sup>.

*Probatur.* Spatium illud esse intelligimus, quod corpora in se recipit. Atqui receptaculum cuiuslibet corporis, quemadmodum

<sup>1</sup> Cf s. Thom., *In lib. IV Met.*, lect. VI.

experiencia constat, sunt dimensiones alterius corporis, a quo continentur, atque, si corpus sit, quod nullo alio corpore continetur, e. g., si corpus aliquod poneretur esse extra totum universum, eius receptaculum non aliud esse intelligimus, quam sui ipsius dimensiones. Ergo spatium in ipsis dimensionibus corporum consistit, sive hae sint dimensiones unius corporis aliud ambientis, sive sint dimensiones eiusdem corporis, prout considerantur relatae ad substantiam, quam intra se concludunt, et veluti constringunt.

216. Idem ex eo comprobari potest, quod nos, cum spatium metiri volumus, distantiam metimur, quae intercedit vel inter extremas partes superficierum eiusdem corporis, vel inter superficies unius corporis, et alterius, quo illud continetur.

217. Ex his perspicitur spatium, quod tamquam reale intelligimus, non esse aliquid separatum a corporibus, atque ideo ante creationem mundi non extitissemus; sed a Deo cum ipso mundo creatum fuisse<sup>2</sup>. Quapropter capacitas illa recipiendorum corporum, quam extra mundi limites existere, et in qua mundum creatum esse concipimus, non est spatium reale, sed *imaginarium*, nempe phantasma omni realitate destitutum, quod imaginatio sibi confingit, quodque s. Augustinus *spatiosum nihil* appellavit<sup>3</sup>.

#### CAPVT XI.

#### De octava categoria, quae dicitur « quando »

##### ART. I. *Quid sibi velit categoria quando, explicatur*

218. Illud accidens, per quod res corporeae tempori adiacent, et ab eo mensurantur, dicitur *quando*<sup>4</sup>. Ut autem haec notio magis perspicua fiat, sciendum in primis est, quaenam sint variae species *durationis*. Duratio definiri potest *permanentia rei in suo esse*, sive, *continuata existentia rei*<sup>5</sup>. Hinc tot durationes distinguendae sunt, quot sunt modi, quibus aliquid in suo esse permanere posse intelligitur. Iam hi modi tres sunt. Namque esse

<sup>1</sup> Cf s. Thom., *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. I, a. 5 ad 4.

<sup>2</sup> Confess., lib. VII, c. 1, n. 1. « Inanes, ait idem sanctus Doctor, sunt cogitationes hominum, quibus infinita imaginantur loca, cum nullus locus sit praeter mundum »; *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 5.

<sup>3</sup> Cf B. Alb. M., *De Praedicam.*, tract. VI, c. 2.

<sup>4</sup> Cf s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. II, a. 1 sol.

aut est omnino immutabile, cuiusmodi est *Esse Dei*; aut est immutabile per se, sed transmutationem adiunctam habet, cuiusmodi sunt substantiae creatae intelligentia praeditae, quae dum secundum suum esse immutabiles<sup>1</sup> sunt, secundum operationes suas sunt mutabiles; aut est omnino mutabile, cuiusmodi sunt res corporeae. Igitur tres sunt durationes. Harum prima, quae est unius Dei, vocatur *aeternitas*<sup>2</sup>; altera, quae Angelis<sup>3</sup>, et animabus rationalibus<sup>3</sup> convenit, *aevum*; tertia, quae est propria rerum corporearum, *tempus*.

219. Itaque « esse rerum corruptibilem, Aquinas inquit, quia est transmutabile, mensuratur tempore<sup>4</sup> ». Iam, quemadmodum diximus, illud accidens, per quod res corporeae tempore mensurantur, vocatur *quando*<sup>5</sup>. Quae cum ita se habeant, tractatio huius categoriae versari debet circa ea, quae ad notionem temporis pertinent.

ART. II. *Opiniones Gassendi, Newtoni, Leibnitii, et Kantii circa notionem temporis reiciuntur*

220. Gassendus, ut spatium, ita tempus esse incorporeum sensit, illudque non aliud esse voluit, quam id, quod intelligitur in presentia fluere, fluxisse, antequam mundus crearetur, et fore ut fluoret, etiamsi Deus mundum in nihilum redigeret<sup>6</sup>. Newtonus<sup>7</sup>, quem Clarkeus<sup>8</sup>, et nuper Bouillierius<sup>9</sup> secuti sunt, quemadmodum spatium esse immensitatem Dei, ita tempus esse Eius aeternitatem docuit. Leibnitius vero, quoniam spatium in ordine rerum coexistentium posuit, ideo tempus in successione rerum sive possibilium, sive realium consistere dicit<sup>10</sup>. Kantius denique contendit, quemadmodum spatium est forma *a priori* sensitatis externae, ita tempus esse formam *a priori* sensitatis internae<sup>11</sup>.

221. Has opiniones circa naturam temporis distinctis pro-

<sup>1</sup> Notionem *aeternitatis* in *Theologia naturali* clarius exponemus.

<sup>2</sup> Cf s. Thom., I, q. X, a. 5 ad 1.

<sup>3</sup> Qq. disp., *De Pot.*, q. III, a. 10 ad 8. — <sup>4</sup> I, q. X, a. 4 ad 3.

<sup>5</sup> « Quando, ait idem sanctus Doctor, est secundum quod aliquid denominatur a tempore »; In lib. V Met., lect. IX.

<sup>6</sup> Physic., sect. I, lib. II, c. 3. — Op. cit., ibid., n. 7.

<sup>8</sup> Lettres entre Leibniz, et Clarke, 4<sup>e</sup> Replique de M. Clarke, § 10.

<sup>9</sup> Op. cit. — <sup>10</sup> Vid. loc. cit. p. 77, not. 3. — <sup>11</sup> Cf loc. cit., ibid., not. 4.

sitionibus non refellimus; nam ad earum falsitatem evincendam satis est adnotare ipsas fore iisdem, ac illorum Philosophorum de natura spatiis sententias, vitiis laborare. Et sane, eadem momenta rationis, ex quibus vidimus monstrorum esse illud incorporeum, quod Gassendus spatium dixit, ostendunt quoque monstrorum esse illud incorporeum, quod tempus nuncupat. Praeterea, omnino absurdum est illud, quod pro certo, et concessu sumsit, nempe tempus reale fuisse, antequam mundus existet, et fore, etiamsi mundus esse desineret. Etenim tempus, quocumque modo explicetur, sine motu, et successione concipi non potest, et quoniam motus, et successio concipi nequeunt sine rebus, quae moventur, tempus reale existere non potest, nisi existant res, quae moventur, et sibi succidunt. Atqui hae res ante mundi creationem non existebant, et, si mundus in nihilum redigeretur, existere desinerent. Ergo haud possibile est tempus fuisse, antequam mundus crearetur, et fore, etiamsi mundus in nihilum redigeretur<sup>4</sup>.

222. Newtonus autem successionem in Deo posuit; quia, cum tempus sine successione intelligi non possit, is, qui tempus est aeternitatem Dei asserit, successionem in Deo ponit.

223. Quod spectat ad Leibnitium, tempus quidem sine successione rerum, quae aliquo ordine fit, intelligi nequit; sed eius essentia, sive, ut aiunt, notio in ordine illius successionis positata non est; siquidem notionem temporis adquirimus non ex eo, quod successionem in rebus ordine procedentem contemplamur, sed ex eo, quod in iis, quae sibi succidunt, prius, et posterius metimur. « Manifestum est, inquit s. Thomas, quod tempus non est motus, sed sequitur motum, secundum quod numeratur. Unde est numerus motus<sup>2</sup> ».

224. Denique opinio Kantii eisdem, ac eius opinio de spatio, difficultatibus premitur. Etenim, 1<sup>o</sup> haec *forma a priori*, cum sit, secundum Kantium, necessaria, et universalis, sensitatis internae propria esse nequit; 2<sup>o</sup> etsi res externae, atque internae, quas percipimus, sint in tempore, tamen nos principio illas res percipimus, deinde ab illarum successione notionem temporis nobis confiscimus, atque ita ipsas esse in tempore intelligimus.

<sup>1</sup> Cf s. Aug., *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 6.

<sup>2</sup> In lib. IV Phys., loc. cit.

gimus. Quare falsum est notionem temporis ita praeformatam esse in animo, ut cuilibet internae experientiae praecedere debeat<sup>1</sup>.

ART. III. *Sententia Scholasticorum exponitur et propugnatur*

225. Tempus a Scholasticis post Aristotelem ita definitur: *Mensura motus secundum prius, et posterius*. Hac definitione, etsi illa claritate destituatur, quae in definitionibus requiritur<sup>2</sup>, rectam notionem temporis tradi sequenti Propositione evincimus:

*Tempus mensura motus secundum prius, et posterius dicendum est.*

*Probatur.* Conceptus temporis in nobis exurgit ex eo quod determinamus prius, et posterius in motu, seu fluxu corporum. « Tempus accipimus, cum numeramus prius et posterius in motu<sup>3</sup> ». Id exemplo e dormientibus petitio Aristoteles declaravit; constat enim nos tempus, in quo dormimus, non adverte-re, quia cum illud *nunc*, in quo a somno corripimur, experge-facti coniungamus cum illo *nunc*, in quo e somno excitamur, nullum, dum dormimus, motum, seu fluxum advertimus<sup>4</sup>. Atqui cum determinamus prius, et posterius in motu corporum, revera ipsum motum metimur. Ergo tempus *mensura motus secundum prius, et posterius dicendum est*<sup>5</sup>.

226. Circa temporis notionem, quam tradidimus, haec mente reputanda nobis sunt:

1º Tempus, cum sit mensura motus, *ad modum entis successivi* intelligitur, quippe quod non habet in rebus esse fixum, sed fluens. Quare partes temporis ita secum copulantur, ut una

<sup>1</sup> Kantianae opiniones circa spatium et tempus a P. Ios. Kleutgen (*La filosofia antica esposta e difesa* (trad.), vol. II, tratt. IV, c. IV, § 4, p. 313 sqq., Roma 1867) solide refutantur.

<sup>2</sup> Nemini id negotium facessat, nam ut a s. Augustino observatum est, dum omnes tempus esse pro certo habent, valde difficile est intelligere, quid sit tempus; *Confess.*, lib. XI, c. 14, n. 17.

<sup>3</sup> In lib. IV *Phys.*, lect. XVII.

<sup>4</sup> Nat. auscult., lib. IV, c. 11, § 4.

<sup>5</sup> Hinc illud s. Thomae intelligitur: « Prius et posterius ponuntur in definitione temporis, secundum quod causantur in motu ex magnitudine, et non secundum quod mensurantur ex tempore »; In lib. IV *Physic.*, lect. cit. Scilicet *prius* et *posterior* ante sunt in magnitudine, atque adeo in spatio, quod corpus decurrit, quam in motu; et antea in motu, quam in tempore; siquidem tempus non mensuratur tempore, cum idem non sit mensura sui ipsius.

alteri succedat. Illud, quo partes temporis secum copulantur, aliquod indivisible esse intelligitur, atque est id, quod vocatur *nunc*, sive *instans*; hoc enim, cum sit finis praeteriti, ac initium futuri, veluti utriusque extreum intelligitur, ideoque, perinde ac punctum, quod est extreum lineae, indivisible est<sup>6</sup>.

2º Quoniam ens successivum plures partes simul habere repugnat, ideo illud, quod est reale in tempore, consistit in instanti. Hoc autem *instans*, ut s. Thomas monuit<sup>2</sup>, non est intelligendum veluti *nunc*, quod invariabiliter manet, sed veluti *nunc*, quod variabiliter de priori in posterius fluit, seu veluti aliquid, quod, dum idem quoad substantiam manet, in toto decursu temporis secundum modum variat. Hinc tempus ab eodem sancto Doctore dicitur etiam *fluxus ipsius nunc, secundum quod alternatur ratione*<sup>3</sup>. Hanc ob rationem tempus in praesenti etiam invenitur. Scilicet in praesenti, si in se spectetur, tempus per se non invenitur, quia in eo prius, et posterius non numerantur<sup>4</sup>, sed invenitur ex eo, quod praeteritum, et futurum in ipso copulantur ratione instantis, quod, cum sit finis praeteriti, atque initium futuri, utrumque coniungit, atque continuum<sup>5</sup> successivum efficit<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> « Eiusdem rationis, inquit s. Thomas, est tempus componi ex nunc, et lineam ex punctis »; In lib. I *Sent.*, Dist. XXXVII, q. III, a. 3 sol.

<sup>2</sup> Opusc. XLIV.

<sup>3</sup> Ibid. Dicitur *secundum quod alternatur ratione*, quia connexio instantis cum praeterito, et cum futuro ab intellectu ponitur; siquidem inter id, quod in rerum natura est, nempe *instans*, et ea, quae in ipsa non sunt, scilicet *praeteritum*, et *futurum*, realis, atque obiectiva connexio existere non potest. Hinc idem sanctus Doctor monet mensurationem prioris, et posterioris esse actionem, quae « completur in operatione animae numerantis » (In lib. I *Sent.*, Dist. XIX, q. II, a. 1 sol.). Cave tamen ne inde inferas notionem temporis esse mere subiectivam, nam res, quas nos in tempore esse intelligimus, in mundo ita sunt dispositae, ut una alteri succedat.

<sup>4</sup> Id sibi voluit s. Augustinus, cum ait: « Praesens, si semper esset praesens, iam non esset tempus, sed aeternitas »; *Confess.*, loc. cit.

<sup>5</sup> Continuitas successiva in hoc consistit, quod unum alteri immediate succedit.

<sup>6</sup> Praestat hic adnotare, tempus lato sensu acceptum in operationibus spiritualium creaturarum intelligi posse. Quod Aquinas declaravit his verbis: « Intellectus est supra tempus, quod est numerus motus corporalium rerum. Sed ipsa pluralitas specierum intelligibilium causat vicissitudinem quamdam intelligibilium operationum, secundum quam una operatio est

## CAPVT XII.

**De duabus postremis categoriis, nempe de situ,  
et habitu**

ART. I. *De situ*

227. Quoniam res corporeae propter suam quantitatem locum occupant, huius partes quendam ordinem habeant necesse est. E. g., corpus hominis in loco est sedendo, vel stando, vel cubando. Iam illud accidens, quod ex ordine partium ad locum existit, appellatur *situs*<sup>1</sup>. Diximus *ex ordine partium quantitatis ad locum*, nam ordo partium quantitatis ad totum, e. g., ordo, quem caput, pedes etc., ad corpus animalis habent, quamvis nomine *situs* designetur<sup>2</sup>, ad categoriam *situs* non pertinet, et nomine *positionis* magis proprie denotatur.

228. Ex hac notione *situs* perspicitur ipsum non esse confundendum cum *ubi*; nam corpus dicitur *locutum*, prout in loco est, et dicitur *situm*, prout hoc, vel illo modo in loco est. Hoc s. Thomas ex eo praecipue demonstrat, quod, non mutato *situ*, potest mutari *ubi*; e. g., si homo sedens, permanente sessione, ab alio moveretur, ipse *ubi* quidem, sed non *situm* mularet<sup>3</sup>.

229. Notionem *situs* e rebus materialibus ad spirituales transference solemus, atque his quoque *situm* metaphorice accommodamus<sup>4</sup>. Hinc Deus, aiente Aquinate, dicitur sedens « propter suam immobilitatem et auctoritatem, et stans propter suam fortitudinem ad debellandum omne, quod adversatur<sup>5</sup> ».

prior altera. Et hanc vicissitudinem Augustinus nominat tempus, cum dicit, lib. VIII, c. 20 et 22 *super Gen. ad litt.*, quod Deus movet creaturam spiritualem per tempus (I, q. LXXXV, a. 4 ad 1). Et in lib. I *Sent.*, Dist. VIII, q. III, a. 3 ad 4: « Alio modo dicitur tempus magis communiter numerus eius, quod habet quocumque modo prius, et posterius: et sic dicimus esse tempus mensurans simplices conceptiones intellectus, quae sunt sibi succedentes; et istud tempus non oportet, quod habeat continuitatem, cum illud, secundum quod attenditur motus, non sit continuum ».

<sup>1</sup> Cf s. Thom., *Quodlib.* III, a. 7 c.

<sup>2</sup> De *situ* hac ratione accepto locuti sumus p. 46, not. 5.

<sup>3</sup> In lib. IV *Phys.*, lect. VII.

<sup>4</sup> Quod est, ait s. Thomas, in corporalibus *situs*, est in spiritualibus *ordo*; nam *situs* est quidam *ordo* partium corporalium secundum *locum*; *Quodlib.* III, loc. cit.

<sup>5</sup> I, q. III, a. 1 ad 4.

ART. II. *De habitu*

230. Inter accidentia, quae substantiae corporeae adjacent, ea recensenda sunt, quae dumtaxat instar vestimenti, vel ornamenti ipsi accommodantur. Huiusmodi, e. g., illa sunt, ex quibus Socratem *tunicatum*, vel *loricatum* denominamus<sup>1</sup>. Iam supremum genus, ad quod haec accidentia referuntur, illam categoriam constituit, quae nomine *habitus* designatur<sup>2</sup>.

231. Haec categoria a B. Alberto M. definitur, *Corporum, et eorum, quae circa corpus sunt, adiacentia*<sup>3</sup>. Qua in definitione vox *corporum* id denotat, ad cuius commodum *habitus* spectat, e. g., esse *togatum* est hominis commodum. Voces *eorum, quae circa corpus sunt*, significant materiam, ex qua *habitus* constat, e. g., *toga* est materia illius *habitus*, qui esse *togatum* dicitur. Denique vox *adiacentia* denotat ordinem, qui est circa corpus, nempe inter habentem, et quod habetur, atque illud accidens constituit, quod *habitus* vocatur.

232. Ex his primum est duo intelligere. Primum est, quod ad efficiendam categoriam *habitus* duae substantiae requiruntur, quarum una circa aliam versatur; quapropter ex nullo accidente, quod substantiam afficit, e. g., ex scientia, et scientie, categoria *habitus* constitui potest<sup>4</sup>. Alterum est, quod essentia *habitus* non consistit in alterutra, aut ultraque substantia, sed, ut s. Bonaventura inquit, « in adiacentia unius substantiae respectu alterius<sup>5</sup> ». Exinde etiam perspicitur *habitus*, etsi inter duas substantias sit, tamen esse accidens categoricum, quia positio unius substantiae circa alteram, in qua natura *habitus* consistit, est accidens<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> Cf s. Aug., *Qq. LXXXIII*, q. 73.

<sup>2</sup> Perspicuum est *habitus*, prout hic accipitur, omnino differre ab *habitu*, quem in *Logica* (part. I, c. I, art. 9, p. 19 vol. I), esse quendam speciem qualitatis diximus.

<sup>3</sup> *De sex principiis*, tract. VII, c. 1.—<sup>4</sup> Cf s. Damascen., *Dialect.*, c. LXI.

<sup>5</sup> In lib. III *Sent.*, Dist. VI, a. 1, q. 3 *resol.* Hinc s. Thomas scripsit *habitus* neque *indumentum*, neque *habentem indumentum esse*, sed aliquid medium inter utrumque (1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. XLIX, a. 1 c.). Ex quo vides Suarenum (*Disp. mett.*, Dist. LIII, sect. I, n. 3), aliosque vim huius categoriae haud probe intellexisse, cum eius essentiam vestem esse decreverunt; nam *vestis* est materia, ex qua *habitus* constat, sed essentiam *habitus* haud constituit.

<sup>6</sup> Cf s. Thom., *In lib. III Sent.*, Dist. VI, q. III, a. 2 *sol.*